



**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorius
III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvv I., Stephanvs IV.,
Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt & reges
Francorum, Carolvm Martellvm, ...**

Gretser, Jacob

[München], 1613

Jtem exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum Pippinum Regem
directa, de Marino presbytero & eius iniquo consilio & de consecratione
ipsius. XXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

*Item exemplar Epistola eiusdem Papa, ad
Domnum Pippinum Regem directa, de Marino presby-
tero & eius iniquo consilio & de consecra-
tione ipsius.*

XXXIX.

*Summ. 4.
Bar. &
Cent.*

DOMNO excellentissimo filio & nostro spiri-
tali Compatri Pippino Regi Francorum, &
Patricio Romanorum Paulus Papa. Omni-
no compertum habet vestra Christianissima excel-
lencia, qualiter Marinus presbyter noster ibidem ad
vos moratur, iniqua operatione contra sanctam Dei
Ecclesiam fidemq; orthodoxam, Deo sibi contrario,
cum Georgio quodam imperiali a secretis, consilia.
Sedi nostrae contraria & vestrae simili modo ingerere
cupiens, quod quidem & idem Imperator vestra a
Deo protectae excellentiae per suas innotuit litteras.
Vnde quia defensorem fidei orthodoxae atq; propu-
gnatorem gregis sui, vel populi Christiani liberato-
rem Christianissimam bonitatem vestram, B. Apo-
stolus & princeps Apostolorum Petrus eligere, & cō-
firmare dignatus est, idcirco adoptamus atq; depre-
camur eximiam bonitatem vestram, optime Rex &
spiritalis compater, ut iubeas sanctissimo fratri nostro
Wulchario Episcopo praecipere, quatenus ipse eun-
dem Marinum presbyterum, nostra vice, Episcopum
consecrare debeat, & in vna ciuitatum vestrarum illis
in partibus constituta, in qua praeviderit vestra sapi-
entissima eximietas eum ordinare disponite, quate-
nus perpetrati sceleris sui recordans, se inique egisse
poeniteat, ne in eo, quod absit, antiquus humani gene-
ris hostis, mentem illius vagantem inueniens, quasi in
subli-

sublime extollat, favissimeq; quoquomodo valeat funditus disperdere; sed magis, vt confidimus in vestram benignissimam excellentiam, atq; à Deo præclaram cordis vestri dilatationem, huic nostræ postulationi vestra præclara excellentia aurem adcommo- dare dignetur, quatenus & ille securus de huiuscemodi re persistat, & nos pro vestra immensa læticia atq; sospitatis gaudio indefinenter Dominum Deum cæli exorare iubeamus. Bene valete.

*Item exemplar Epistole eiusdem Pape, ad
Domnum Carolum, & Carolomannum Reges directæ, in qua
continentur gratiarum actiones, & de litteris ab eis directis,
& vt cum Domino Genitore eorum, semper pro defen-
sione sanctæ Dei Ecclesiæ decertare debeant.*

XL.

DOMNIS excellentissimis filiis Carolo, & Ca-
rolomanno Regibus Francorum, & Patriciis
Romanorum Paulus Papa. Quanto decoris
nitore regalis gloriæ fastigium ornetis, ex hoc utique
omnibus patenter datur intelligi, dum nimirum, sicut
præclaro genere orti, piis operibus ac dignis videmini
illustrari moribus. Vnde vnâ quidem huius diuini
muneris gratiam possidetis ex genere, & alia fruimini
ex opere, & nec mirum, si tantis infulis gloriæ nobili-
tas vestra pollet, dum profectò scriptum est: *Generatio*
rectorum benedicetur. Glorificamus enim atq; conlau-
damus Dei nostri clementiâ, qui tantâ vobis Spiritus
sancti gratiam contulit, iam nempe prædestinatos
vos habuit, antequam de materno prodiretis ute-
ro, quoniam quos præsciuit, & prædestinavit; quos præ-
destinavit, hos & vocavit; quos vocavit, illos & magnificavit.

*Summ. 28.
Baronius
Cent. ex-
tra ordinem
mentionum
faciunt tri-
um Episto-
larum ad
Carolum
& Carolo-
mannum.*

Psal. 111.

Rom. 8.

Verè